

tus, ut se iturum ad prætoris tribunal, ad futurum Vrgulaniæ diceret, processit palatio, procul sequi iussis militibus. Spectabatur occurfante populo, compositus ore, & sermonibus variis tempus atque iter dicens, donec propinquis Pisonem <sup>a</sup> frustra coercentibus, deferri Augusta pecuniam, quæ petebatur, iuberet. Isque finis rei, ex qua neque Piso <sup>b</sup> inglorius, & Cæsar maiore fama fuit. Ceterum Vrgulaniæ <sup>c</sup> potentia <sup>d</sup> adeo nimia ciuitati erat, ut testis in causa quadam, quæ apud senatum tractabatur, venire designaretur. Missus est prætor, qui domi interrogaret: cum virgines <sup>e</sup> Vestales in <sup>f</sup> foro & iudicio audiri, quoties testimonium dicerent, vetus mos fuerit. Res eo anno prolatas haud referrem, n̄ pretium foret Gn. Pisonis & Asinij Galli super eo negotio diuersas sententias noscere. Piso quanquam abs futurum se dixerat Cæsar, ob id magis agendum censebat, ut absente principe, <sup>g</sup> senatus & equites possent sua munia <sup>h</sup> sustinere: decorum Reip. fore. Gallus, quia speciem libertatis Piso præcepérat, nihil satis inlustre, aut ex dignitate populi R. nisi coram & sub oculis Cæsaris: eo que conuentum Italæ & affluentis prouincias præsentia eius

## O B S E R V A T I O N E S.

<sup>a</sup> Parum est, fortiter aliquid capisse, nisi in eo constanter perseveres.

<sup>b</sup> Non est inglorium litigare cum magno aliquo, & potente viro iusta de causa; ad eamque rem tantum afferre fortitudinis, & constantiae, quantum fatis est ad illius libidines comprimendas, & potentiam infringendam.

<sup>c</sup> Potentia alicuius tum demum nimia, nec ferenda videri debet, cum is vocatus ad tribunal accedere designatur.

<sup>d</sup> Perraro feminæ, cum animo sint impotenti, modum potestie tenent.

<sup>e</sup> Virginum Vestalium multò maior est, quam ceterarum feminarum, etiam amplissimarum autoritas, & dignitas, has tamen in foro, & iudicio audiiri, quoties testimonium dicerent, vetus mos fuit. tanta debet esse iudiciorum autoritas, & dignitas, ut quæ maxima sunt, illis submitantur.

<sup>f</sup> In foro, & iudicio testimonium dicere, honorificum est.

<sup>g</sup> Et senatum, & magistratus, absente principe, sua munia sustinere posse, si modo volunt, satis constat.

<sup>h</sup> Est libertas, & principatus in speciem ideo similes videtur esse, quod in vitroque statu idem senatus, idemque magistratus conspicuntur, tamen natura multum differunt. quippe in libertate nullus magistratus cuiusquam aut noctum obseruat, aut iussa moratur, sed quod quisque sentit, de eo libere sententiam dicit. Contra in principatu senatus, & magistratus speciem quidem autoritatis, & potestatis retinet, autoritatem vero, ac potestatem minime; cum ea penes unum principem sit. non ergo mirum est, Asinium Gallum humillimum Tiberii adulatorem Pisonis sententia aperte contradixisse, cum is conserret, magistratus, principe absente nihilominus sua munia obire posse. quia sententia haud dubie tota vis principatus conuellebat, ac libertas revocabatur. Hoc loco is, quæ principatum in liberare, nuper adeptus est, obseruer, se in eo totum esse debere, ut senatus, & singuli magistratus in necessitatem adducatur, nihil in iis, quæ ad rem pertinent, statuendi, nisi ipso presente, aut sane ipsius viuis iussu, & autoritate, nam si scilicet res ipsa palam fecerit, a magistratibus, si quisque munus fungatur suum, remp. administrari posse, videbitur princeps omnino supervacuus, cum eo resp. carere, hoc est, libera esse, abque illo detrimento, posset.

<sup>i</sup> In rebus arduis, & magni momenti nihil satis illustre, atque ex dignitate agi posse videtur, nisi coram, & sub oculis ipsius principis.

seruanda